QUAESTIONES AENIGMATUM RHETORICAE ARTIS. ISIDORUS HISPALENSIS. EPITAPHIA

1. Viertel 13. Jh. Seite 136r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tice a ponte dicitur genere diuiso nunc sanguineis
nunc auratis guttis micantes. alie habentes
stellas alia longis colorum ductibus lineate.
Exocallitus in parua magnitudine mul-
ticolor. unde et hoc sibi nomen adoptauit
tam diuisis enim notis sparsus est ut sexagin-
ta gemmarum colores in paruo eius orbiculo de-
prehendantur. Nascitur autem in libia apud trogo-
ditas. Aluina (?) apud parthos gignitur. sed pre-
cipua in germania. humorem subita pu-
tant calore dissilatum. unde et nomen sumpsit
uarietas eius in purpuram candoremque et
ignem cum quodam colore repercussus qualis in
celesti arcu exspectatur. cuius contraria
causa cristallum facit gelu uehementiore
concreto. De cristallinis

Cristallus resplendens et aquosus colo-
re traditur. quod nix sit glacie durata per
annos. unde et nomen ei greci dederunt. Gi-
gnitur autem in asia et cipro maxime in
septentrionum alpibus ubi nec estate sol feruen-
tissimus inuenitur. ideoque ipsa diuturna et an-
nosa duricia reddit hanc speciem que cristal-
lus dicitur. hic oppositus radiis solis adeo rapit
flammam. ut aridis fungis uel foliis ignem
prebeat. usus eius in adpocula destinatur. nichil
autem aliud quam frigidum pati potest. Adamas
indicus lapis paruus et indecorus ferru-
gineum habens colorem. et splendorem cristalli
numquam autem ultra magnitudinem nuclei
auellani repertus. hic nulli cedit materie nec
ferro quidem nec igni incalescit. unde et nomen
greca interpretacione accepit indomita. Sed dum sit
inuictus ferri ignisque contemptor hircino
rumpitur sanguine recenti et calido maceratur
sicque multis ictibus ferri perfrangitur. Cuius fra-
gmenta sculptores pro gemmis insigniendis
perforandisque utuntur. Hic autem dissidet
cum magnete lapide in tantum ut iuxta
positus ferrum non patiatur abstrahi magneti. aut
si admotus magnes comprehenderit. rapiat atque
auferat. Fertur quod et in electri similitudine uenena
comprehendere. metus uanos expellere. maleficiis
resistere artibus. Genera eius vi. Galatia grandinum et can-
dorem et figuram. adamantinam duriciam habet
et in igne positus manet suum frigus. Ceraunie
duo genera sunt. unum quod germania mittit. christal-
lo simile est. splendet tamen ceruleo. et si sub di-
uo positus fuerit fulgorem rapit siderum. Cerau-
nium aliud hispania in lusitaniis litoribus est colore
piropo rubenti et qualitas ut ignis. Hec aduersus
uim fulgorum opitulari fertur si creditur. Hanc ce-
rauniam alibi non inuenitur quam in loco fulmine icto
proximo. Grece enim fulmen ceraunos dicitur. Iris apud
arabiam in mari rubro nascitur coloris christalli-
ni sexangulata. dicta ex argumento iris.
nam sub tecto percussa speciem solis et colorem
arcus celestis in proximos parietes imitatur. Astri-
on ex india est. christallo propinqua. In cuius cen-
tro stella lucet fulgore lune plene. Sumpsit
autem nomen quod astris opposita fulgorem rapit ac
regerit. Electria que et electoria in uentriculis galli-
naceis inuenitur christallina specie. magni-
tudine fabe. hac in certamine inuictos fieri (?)
fieri magi uolunt. Enhidros ab aqua uocata. Ex-
undat enim aquam. ita ut clausam in ea pu-
tes fontaneam scaturiginem. De igneis

Omnium ardentium gemmarum principatum
carbunculus habet. Carbunculus autem dictus
quod sit ignitus ut carbo. cuius fulgor nec noc-
te uincitur. lucet enim in tenebris adeo ut
flammas ad oculos uibret. Genera eius xii. sed pre-
stantiores qui uidentur fulgere. et uelut ignem
emittere. Carbunculus autem grece antrax dicitur.
gignitur in libia apud trogoditas. Antraci-
tis uocatus quod sit et ipse coloris ignei ut